

catum actuale, sed habituale, id est, macula peccati habitualiter, et permanentiter ex peccato relicta, in qua invenitur, et formale, et materiale hujus peccati. Formale istius maculæ est privatio nitoris gratiæ, et splendoris rationis, non pura privatio physica, sic enim potius haberet rationem pœnæ, sed privatio moralis, sed voluntaria, quod habet per ordinem ad voluntatem a qua causata est, scilicet ad voluntatem primi parentis ut capitis omnium ad communicandam gratiam omnibus si non peccaret, vel privationem ejus si peccaret. Et sicut omnium aliorum peccatorum maculæ consistunt in hac privatione, macula, ita voluntaria originalis, licet in aliis peccatis solum maculetur persona quæ peccat, in originali autem omnes personæ quæ fuerunt membra capitis peccantis. Materiale autem hujus peccati dicitur esse concupiscentia, id est, omnium virium animæ infectio, et dissolutio, non quidem quod hæc sit materia constituens ipsum peccatum tamquam pars, vel constitutum illius, sed est materia corrupta, et infecta ab isto peccato ut effectus ejus quatenus, non solum tollit gratiam, sed etiam donum originalis justitiæ, quo vires animæ continebantur subjectæ sicut si alicujus morbi materia dicatur caput, vel venter, vel cor, quia talem partem corrumpit, et sic concupiscentia effrænata, et infecta est materiale peccati originalis ut effectus subsecutus, sicut corpus organicum est materia animæ, et causatum ab ea, et de hoc agit quæstione LXXXII.

De subjecto autem originalis peccati ostendit esse animam, et non carnem, quia caro non est capax peccati per modum subjecti, licet sit instrumentum traducendi hoc peccatum quatenus est medium generandi hominem, et uniendi ani-

am carni, et consequenter suo primo generanti et capiti, cujus ille homo est membrum propagatum non ab ipso informatum. Et quia macula peccati immediate est in essentia animæ in qua est gratia qua privat, et in qua erat justitia originalis radicaliter, ideo macula originalis directe est in essentia animæ, et sic deordinat vires animæ radicaliter, exinde vero inficit potentias, tum rationales, tum sensilivas capaces peccati, potentiam autem generativam ut instrumentum propagationis humanæ, et de hoc agit quæstione LXXXIII.

Ultimo, post causas exteriores peccati, et interiores quasi effectivas, agit de causa disponente, aut finalizante quatenus unum peccatum est causa alterius, quod potest esse, vel demeritorie secundum quod Deus propter unum peccatum permittit labi in aliud et de hoc non agit in præsentia, vel potest esse unum peccatum causa alterius quasi disponens ad illud, vel per modum finis aliud causans. Generaliter autem sunt duo generalia principia peccatorum, scilicet cupiditas, et superbia, illa ut præbens materiam peccati hæc ut propriam excellentiam, et perfectionem quærens. Specialiter vero illa peccata, quæ habent majorem appetibilitatem, habent etiam rationem finis, quatenus ab illis originantur alia, quæ propter illa fiunt, vel omittuntur, et ideo vocantur vitia capitalia, quia finis est caput, et principium eorum, quæ ad finem ordinantur. Et de hoc agit quæstione LXXXIV.

Post habitudinem peccati ad omnes suas causas, sequitur habitudo ad suos effectus, qui generaliter sunt tres. Primo in ordine ad bonum naturæ. Secundo in ordine ad maculam animæ. Tertio in ordine ad reatum pœnæ. Quantum ad bonum naturæ, peccatum, aliquid to-

taliter tollit, aliquid solum diminuit et aliquid non tollit, nec diminuit. Totaliter tollit gratiam, et donum originalis justitiæ, quod erat bonum toti naturæ collatum; unde secuti sunt alii effectus corporales ut mors, et ea quæ ad mortem tendunt, ut morbi, infirmitates, etc. Diminuit inclinationem, seu habilitatem ad bonum; non quidem aliquid subtrahendo, si quidem semper manet radix ejus, quæ est natura, sed impedimenta, et retardationem apponendo, ne perveniat ad bonum ad quod natura est habilis. Non tollit autem, nec minuit ipsam naturam, et proprietates ejus in se. Et de his agit quæstione LXXXV.

Secundus effectus, sed defectus quem causat peccatum, est macula animæ per quam privatur anima refulgentia luminis naturalis, et luminis gratiæ, et se habet in anima sicut umbra in corpore, quæ quidem est privatio lucis cum respectu ad suam causam a qua impeditur, et secundum quod causa suscipit magis, et minus in ratione impediens etiam ipsa umbra quæ est impedimentum passivum luminis suscipit magis, et minus, et multiplicatis corporibus impediens multiplicatur, sic et maculæ multiplicatis peccatis. Et de hoc agit quæstione LXXXVI.

Tertius effectus peccati est reatus ad pœnam, seu obligatio ad illam, et in aliquibus peccatis est obligatio ad pœnam temporalem, ut in venialibus; in aliis ad æternam, ut in moralibus, quia privant ipso ordine ad finem ultimum, qui secundum se est irreparabilis per motionem ex alio fine, et consequenter inducit pœnam irreparabilem, quæ est æterna. Sic ergo de reatu pœnæ secundum se, et quomodo unum peccatum sit pœna alterius agit quæstione LXXXVII. Et quia peccatum veniale, et mortale secundum diversos rea-

tus distinguuntur, agit de distinctione eorum quantum ad duo. Primo, secundum comparisonem unius ad aliud, et quomodo distinguantur, et utrum possit fieri, vel non fieri aliud. Et hoc quæstione LXXXVIII. Secundo, specialiter agit de ipso veniali, et quantum ad effectum quem causat in anima, qui est macula, non quidem privans gratiam, sed privans fervore, seu extensione quadam gratiæ ad ea, quæ ipsam in operando retardare possunt: et similiter quantum ad subjectum in quo potest, vel non potest reperiri peccatum veniale, et de hoc agit quæstione LXXXIX.

Explicatis principiis actuum humanorum intrinsicis, quæ sunt habitus virtuosi, vel vitiosi, explicat D. Thomas principia extrinseca talium actuum. Dicuntur autem principia extrinseca, non quia aliquid non ponant intrinsicum in anima, sicut ponit gratia, sed quia illud intrinsicum, quod ponunt non habet principium motionis ab intra, sed ab exteriori movente imprimitur, ut moveatur homo. Est autem commune omni moventi, ut ex ejus motione aliquid imprimatur intrinsicum in mobili, illud tamen quod imprimit, si est per modum motionis tunc præcise subjectum operatur, ut subordinatum moventi exteriori a quo imprimitur, et sic dicitur absolute principium extrinsecum. Habitus vero vocantur a D. Thoma principia intrinsicæ actionum humanarum, quia se habent ut complementum potentiæ, et sic potius subordinantur ipsi animæ ut principio moventi in quantum habitus ejus sunt, licet si sint supernaturales ab exteriori principio imprimantur et fiant, et sub hac consideratione ad gratiam pertineant, sicut etiam ipsa gratia habitualis.

Igitur relicto principio extrinseco quod per modum persuasionis, vel

suggestionis potest movere ad bonum, vel ad malum, de quo jam supra actum est, agit in præsentia D. Thomas de principio extrinseco movente ad bonum universaliter, quod fit dupliciter, vel instruendo et regulando, quod facit lex, vel adjuvando et movendo, quod facit gratia, et de lege agit a quæstione xc usque ad cviii, de gratia vero a cix usque ad finem.

Circa legem prius agit D. Thomas more solito de illa in communi, deinde in particulari. In communi considerat tria, scilicet essentiam, divisionem, et effectus communiores. Essentiam considerat quæstione xc, ostendens, quod lex est ordinatio facta ab eo, qui gubernat multitudinem, quia ordinatio formaliter pertinet ad intellectum, qui res comparat et ordinat, et quia efficax est præsupponit voluntatem, et quia ad multitudinem se habet, promulgationem requirit. Divisionem autem in varias leges, ut æternam, naturalem, humanam, etc. considerat quæstione xci. Effectus autem legis communiores, et interiores a lege, qui sunt tres, scilicet prohibere respectu malorum, præcipere respectu bonorum, permittere respectu indifferentium, tractat quæstione xcii.

De lege autem in particulari considerat D. Thomas esse sex differentias legis, scilicet lex æterna, quæ est in mente divina ad gubernandum omnia; lex naturalis, quæ est nobis naturaliter impressa, id est, cognita per ipsum lumen naturale, quod est lumen principiorum in practicis; lex humana, quæ a naturali derivatur per potestatem legitimam; lex divina positiva, quæ est duplex vetus, et nova, et denique lex fomitis, quæ descendit ex corruptione peccati originalis. De hac ultima non agit, quia tractatam est cum de peccato originali ageretur.

De aliis agit in præsentia, et primo de lege æterna quæstione xciii. Secundo, de lege naturali quæstione xciv. Tertio, de lege humana per tres quæstiones. Primo, considerando ejus naturam, et originem a lege naturali, et conditiones requisitas, ut sit recta, et divisionem in varias leges secundum diversos ejus respectus, et hoc quæstione xciv. Deinde, considerat ejus potestatem, et executionem, ut circa quas materias versari possit et circa quas personas, et quam obligationem imponat et hoc quæstione xcvi. Denique, de mutabilitate legis humanæ sive simpliciter quando abrogatur, sive ex parte, ut quando dispensatur, agit quæstione xcvi.

De lege autem divina positiva agit tractando prius de lege veteri deinde de lege nova. De lege veteri primo, considerat illam in communi. Secundo, distinctionem præceptorum ejus. In communi considerat ejus conditiones, ut quomodo sit data, quo tempore, quomodo obligaverit, et hoc quæstione xcvi. Ejus vero præcepta primo considerat in genere, ostendens tria fuisse genera præceptorum in genere. Primo, præcepta moralia quæ disponebant de actibus humanis generaliter, et cæremonialia, quæ disponebant pertinentia ad cultum Dei in illo populo; judicialia, quæ determinabant ea, quæ ad judicia, et regimen populi pertinebant; et de hac divisione in communi agit quæstione xcix. Exinde vero agit de singulis generibus. Et primo, de præceptis moralibus, quæ continentur in decalogo, de quibus, et eorum obligatione, et an sint dispensabilia, et an præcipiant substantiam virtutum, vel etiam modum, agit quæstione c. De cæremonialibus vero præceptis agit per tres partes considerando in illis tria. Primo, distinctionem omnium præceptorum

cæremonialium, quæ reducebantur ad quatuor genera, quædam enim erant circa sacrificia, quædam circa sacra, id est, circa instrumenta deservientia cultui divino, quædam circa Sacramenta, et sanctificationes legales, quædam circa observantias in modo ministrandi, ut in cibis, et potibus, etc. Et de hac distinctione agit quæstione ci. Secundo, considerat causas litterales, et singulares horum præceptorum, quod latissime tractat quæstione cii. Tertio, considerat durationem istorum præceptorum, quia enim figurabant, et protestabantur Christum venturum, ejusque redemptionem oportuit, quod consummata redemptione Christi in cruce maneret vacuata eorum significatio, et sic erat mortua lex quantum ad vim suæ significationis, licuit tamen aliquantulum uti illa tamquam mortua ad sepeliendum eam cum honore, et de hac duratione agit quæstione ciii.

De præceptis autem cæremonialibus agit per duas quæstiones. Primo, tractando de illis secundum se, ostendens, quod ea quæ lex determinabat circa judicia non erant directe figuralia, et protestativa Christi, sicut cæremonialia: unde non esset peccatum modo uti illis in aliqua republica, non tamen modo obligant, quia jam cessavit tota illa lex. Secundo vero distinguit genera præceptorum judicialium, quæ reducuntur ad quatuor genera: nam quædam ordinabant regimen, et iudicium circa principes, alia erga cives, alia erga extraneos, alia erga domesticam conversationem, et de his sigillatim agit quæstione cv.

Post legem veterem agit de lege nova in qua breviter tria considerat. Primo, ipsam legem secundum se, virtutem ad justificandum, et durationem usque ad finem mundi, et hoc quæstione cvi. Secundo, con-

siderat legem novam comparative ad veterem, ostendens quomodo adimpleat illam, et quod non sit gravior illa, ratione charitatis, libertatis, licet difficilior ratione majoris perfectionis, et de hoc agit quæstione cvii. Tertio, considerat materiam legis evangelicæ tam circa actus interiores quam exteriores, tam circa præcepta, quam circa consilia, et de hoc agit quæstione cviii.

Post considerationem legis sequitur consideratio de gratia, cujus tractatum dividit D. Thomas in tres partes. Primo, considerat ipsam gratiam secundum se. Secundo, causam ejus. Tertio, effectus ejus.

Circa ipsam gratiam secundum se tria etiam considerat D. Thomas per tres quæstiones, scilicet de ejus necessitate, quod pertinet ad quæstionem an est, de ejus essentia, quod pertinet ad quæstionem quid est, et de divisione ejus. Intelligimus autem nomine gratiæ generaliter loquendo aliquid, quod gratuito datur, et non est debitum alteri. Et in duobus creatura pendet a Deo in operando, scilicet in forma, seu virtute, quæ est ratio agendi, et in applicatione, qua movetur ad agendum, in utroque superaddi potest a Deo gratuitum bonum, scilicet forma, seu virtus agendi, vel proxima, ut charitas, vel radicalis, ut gratia, aut etiam potest superaddi gratuitum auxilium motionis, seu applicationis ad agendum. Et quoad utrumque ostenditur a Div. Thoma necessitas gratiæ tam ex parte intellectus ad cognoscendum verum, quam ex parte voluntatis ad attingendum bonum, et qualis gratia, et quomodo requiratur in statu naturæ corruptæ ad efficienda opera perfecta, quæ sunt hominis sani, ut adimplere totam legem, diligere Deum super omnia, resurgere a peccato, perseverare in bono, evitare peccata, etc. Quomodo

etiam requiratur pro statu naturæ integræ præsertim ad opera supernaturalia. Et de his agit quæstione cix.

Quoad essentiam vero gratiæ quomodo sit qualitas habitualis, et quomodo differat à qualitatibus operativis, resideatque in essentia animæ ipsa gratia sanctificans, agit quæstione cx. Quoad divisionem vero gratiæ in operantem, et cooperantem, prævenientem, et subsequentem, gratum facientem, et gratis datam agit quæstione cxi. Nec expressit hic D. Thomas sufficientem, et efficacem, quia quæstione cix, art. i, ii et iii, distinxerat de auxilio, ut virtus, seu forma, quæ est sufficiens, et ut motio applicans, quæ est efficax.

Considerata essentia gratiæ agit de ejus causa, quæ potest esse triplex, efficiens, dispositiva, et instrumentalis. De instrumentali tractabi-

tur in tertia parte agendo de Sacramentis. De efficiente, et dispositiva agit in præsentem ostendens, quod efficiens principalis sit solus Deus, dispositiva autem actus liberi arbitrii, quatenus supernaturali auxilio movetur in Deum, et de hoc tractat quæstione cxii.

Tertio, agit de effectibus gratiæ, et considerat duos effectus, alterum formalem gratiæ sanctificantis, qui est justificatio, de quo, et de ejus causis, et ordine, et modo quo fiat, agit quæstione cxiii. Alter effectus procedit effective a gratia sanctificante, et cooperante, et hoc est meritum tam vitæ æternæ, quam augmenti gratiæ, nam prima gratia, et ultima, scilicet perseverantia, quia dependent solum ex actuali auxilio, et motione, quæ est principium omnis gratiæ, non cadunt sub merito. Et de hoc affectu agit quæstione cxiv.

ORDINATIO SECUNDÆ SECUNDÆ

PER SUAS QUÆSTIONES ET MATERIAS.

Post considerationem actuum humanorum in communi tractat D. Thomas in hac secunda secundæ, de actibus humanis in particulari, scilicet secundum specificas rationes virtutum, et vitiorum.

Ad comprehendendum autem totam hanc materiam moralem, procedens D. Thomas a communioribus ad minus communia distinguit quædam, quæ pertinent communiter ad omnes homines, et ordinat statum communem, quædam vero quæ ordinant speciales status. Quæ tangunt statum communem sunt virtutes, et vitia, ad hoc enim communiter inclinatur homo secundum intellectum, et voluntatem. Virtutes autem, aut sunt intellectuales, aut

theologicæ, aut morales. De intellectualibus non agit in præsentem, non quia pertinent directe ad considerationem actuum humanorum, qui morales sunt, quamvis secundum quod pertinent ad dona Spiritus Sancti ut scientia, sapientia, et intellectus, agetur de illis in hoc tractatu, quia correspondent virtutibus theologicis. Proprie ergo pertinet ad præsens agere de virtutibus theologicis, et moralibus. Et theologicæ sunt tres, fides, spes, et caritas; morales autem principales, seu cardinales, ad quas cæteræ minus principales reducuntur sunt quatuor, prudentia, justitia, fortitudo, et temperantia, in quarum unaquaque considerat D. Thomas

primo ipsam virtutem, secundo vitium oppositum, tertio donum Spiritus Sancti ei correspondens, quarto præceptum, si quod datur de tali virtute. Et hic tractatus istarum virtutum durat usque ad quæstionem clxxi.

Quæ vero pertinent ad speciales status hominum tractantur a quæstione clxxi usque ad finem libri discurrendo non penes status politicos, seu civiles, sed penes status ecclesiasticos, seu theologicos, ut notavimus supra agendo in communi de hac secunda secundæ, et infra amplius dicemus agendo de istis statibus in speciali. Hæc est ergo prima divisio hujus partis, scilicet tractare ea, quæ pertinent ad communem vitam hominum moralem, vel ad speciales status.

FIDES.

Inchoat ergo D. Thomas tractatum de virtutibus in speciali a prima virtute theologica, quæ est fides, et dividit totum ejus tractatum juxta ordinem assignatum in quatuor partes. Primo enim agit de ipsa virtute. Secundo, de donis Spiritus Sancti ei correspondentibus. Tertio, de vitiis oppositis. Quarto, de præceptis, quæ dantur de fide et durat usque ad quæstionem xvi.

Circa primum, virtus fidei consideratur quantum ad tria. Primo, quantum ad ejus objectum, unde sumitur specificatio. Secundo, quantum ad actum ejus tam interiorum, quam exteriorum, quia hic immediatius specificatur ab objecto. Tertio, quantum ad ipsum habitum, qui mediante actu specificatur. Primum tractat in quæstione primo, ostendens rationem formalem objecti fidei, et duas condiciones ex parte objecti requisitas. Ratio formalis est veritas prima revelans. Condi-

tiones sunt duæ. Prima, quod res sic revelata cum mediante testimonio divino revelata sit, non sit visa, neque cognita evidenter, sed obscura. Secunda conditio est, quod sit proposita per instrumentum, seu organum infallibile, quod pro nobis est Ecclesia, seu caput ejus supremum, quod est Romanus Pontifex. Pro primis autem fundatoribus fidei, qui nobis eam tradiderunt fuit revelatio immediate facta a Deo, vel ministerio Angelorum tradita. De hoc ergo specificativo, et conditionibus agit quæstione i.

De actu autem, qui est immediatum specificativum ab hoc objecto, agit quæstione ii et iii. De interiori quidem actu fidei, et de ejus necessitate, et de his, quæ tenentur homines explicite credere, agit quæstione ii; de actu vero exteriori, qui est confessio fidei, et de ejus necessitate ad salutem agit quæstione iii.

Post actum fidei, agit de habitu, qui mediante actu specificatur. In quo considerat quatuor. Primo, ipsum habitum secundum se. Secundo, ejus causam materialem, quæ est subjectum. Tertio, ejus causam efficientem. Quarto, ejus effectus in anima. Primum considerat quæstione iv. Quomodo scilicet habitus fidei sit virtus, et quomodo differat informis, et formata, et quem ordinem habeat ad cæteras virtutes. De secundo scilicet de subjecto agit quæstione v, tam de subjecto quo, qui est intellectus, quam de subjecto quod, qui sunt Angeli dum fuerunt viatores, et homines, qui non sunt infideles, non vero damnati, neque hæretici. De tertio agit quæstione vi, ostendens quomodo fides etiam informis est infusa a Deo. De quarto agit quæstione vii, ostendens, quod præter actus fidei, qui sunt elicit ab ipsa, duo alii effectus illi attribuantur, ut moventi, et dirigenti,

scilicet timor propter summam Dei excellentiam, quam nobis revelat, et purificatio cordis, quia est initium justificationis in voluntate, et ratio expellendi errores in intellectu.

Explicata virtute fidei, tam quoad actum, quam quoad habitum, tractat de secunda parte hujus materiæ, scilicet de donis Spiritus Sancti correspondentibus fidei, quæ sunt duo, scilicet donum intellectus, et donum scientiæ. Cum enim ad fidem principaliter pertineat assentiri rebus credendis, et hoc superet naturale lumen, cum sit circa res supernaturales, oportet, quod detur homini lumen aliquod ad penetrandum, et capiendum res istas credendas, et simul detur vis, seu habilitas ad iudicandum, et discernendum illas, nullus enim assentitur assensu firmo, et certo, qui est quasi ultima resolutio intellectus, nisi prius penetret, et capiat, seu bene apprehendat id cui assentitur, simul discernat, et iudicet de his quibus assentiendum est, ab his quibus non est assentiendum. Et quidem ad assentiendum veritati rei propter se ipsam oportet prius intelligere, et apprehendere, et capere ipsam veritatem in se ipsa, ad assentiendum autem rei ut revelatæ oportet capere ipsam revelationem, seu rem ipsam ut revelatam; in fide quidem, quæ est revelatio testificans obscure, oportet intellectu caperem ut testificatam seu credibilem; in revelatione autem clara, qualis fiet in patria extra Verbum, et extra lumen gloriæ, oportet capere, et intelligere revelationem illam prout clara revelatio est. Sic ergo donum intellectus differt a fide in via, quia fides ordinatur ad assentiendum credendis ex auctoritate dicentis, donum autem intellectus ad penetrandum, et capiendum credibilitatem ipsam, seu testifica-

tionem, in patria autem ordinatur ad capiendum, et penetrandum revelationes ipsas claras extra Verbum, non ad assentiendum revelatis. Hæc autem penetratio, et intelligentia tunc est donum Spiritus Sancti cum aliquis intelligit ex quadam conjunctione, et connaturalitate ad ipsas res revelatas, seu revelationem ipsam, ut habetur ex motione Spiritus Sancti juxta illud I Joann. III. *Unctio docet vos de omnibus*, ubi est sermo formalis, quod in quantum ungit, docet; oleum enim, et lucet, et ungit, donum autem Spiritus Sancti, non in quantum lucet, sed in quantum ungit, id est, in quantum afficit, et connaturalizat, seu demulcet nos ad res supernaturales, docet, et sic etiam distinguitur a lumine gloriæ in patria, qui lumen gloriæ ex ipsa efficacia luminis, et quasi lucendo penetrat divinam essentiam juxta illud Psal. xxxv: *In lumine tuo videbimus lumen*, donum autem intellectus quasi ungerendo, et connaturalizando ad res supernaturales eas penetrat. De hoc ergo agit quæstione VII.

De dono autem scientiæ agit quæstione IX, quæ distinguitur a dono intellectus, et a dono scientiæ, et ab ipsa fide, quia ad scientiam pertinet iudicare de aliquo per suam causam. De his autem, quæ sunt credenda, fides non iudicat discutiendo, sive eorum veritatem sive credibilitatem, sed tantum obediendo testificationi Dei assentitur. Similiter donum intellectus non fert iudicium discutiendo de re aliqua per suam causam, sed solum penetrat, et apprehendit rem illam. Distinguitur ergo donum scientiæ ab utroque quia iudicat de credendis secundum aliquam causam, seu merita credibilitatis, quod pertinet ad iudicium discretionis, seu discussionis. Differt autem a dono sapien-

tiæ penes diversum medium, seu causam per quam iudicat de ipso objecto, nam ad sapientiam pertinet iudicare per causam supremam, et altissimam, ad scientiam vero per causam inferiorem. De credendis ergo si iudicat, et discernit aliquis ex quadam unione, et connaturalitate ad Deum secundum quod gustat de ejus bonitate, sic est donum scientiæ, et sic correspondet charitati, quæ unit nos Deo secundum affectum, et gustum. Si vero iudicat de credendis, dicitur habere scientiam quia iudicat penes effectum aliquem temporalem non solum penes affectum.

Post dona correspondentia fidei sequitur agere de tertia parte hujus materiæ, scilicet de vitiis oppositis fidei. Possunt autem ista vitia opponi, vel directe ipsi fidei, ejusque actui interiori, vel specialiter actui ejus exteriori, scilicet confessioni fidei, vel denique donis correspondentibus fidei. Fidei secundum se opponitur infidelitas, non quidem pure negativa, qualis invenitur in his, qui nihil audierunt de fide, sic enim potius est pœna, quam culpa, sed infidelitas privativa, quæ non acquiescit fidei cognitæ, et dividitur in tria illa genera, paganismus, Judaismus, et hæresis, sub quibus multi possunt errores contineri juxta speciales materias quas negant. Et sic de infidelitate in communi, et his, quæ infidelitatem concernunt agit quæstione X. Specialiter vero propter specialem difficultatem agit de hæresi, et apostasia, de hæresi quidem quæstione XI. De apostasia vero quæstione XII.

At vero confessioni fidei, quæ est ejus actus exterior opponitur blasphemia, quæ est derogatio alicujus excellentis bonitatis præsertim divinæ. Et de hoc peccato agit dupliciter. Primo, secundum se et in communi, et hoc quæstione XIII. Secun-

do, in speciali de blasphemia illa quæ est peccatum in Spiritum Sanctum, quatenus homo recte ponit obstaculum remissioni peccatorum, seu removet ea, per quæ Spiritus Sanctus impedit in nobis electionem peccati, et quia Spiritui Sancto appropriatur peccatorum remissio, dicuntur esse peccata in Spiritum Sanctum. Et sunt sex, scilicet desperatio, impœnitentia, obstinatio cordis, impugnatio veritatis agnitæ, et invidentia fraternæ gratiæ. Ex quibus sola impœnitentia finalis est simpliciter irremissibilis, tam in hoc sæculo, quam in futuro, alia vero dicuntur irremissibilia propter specialem difficultatem remissionis quatenus hujusmodi peccata ex specie sua afferunt impedimentum, et repulsionem remedii contra peccata eo modo quo aliqui morbi dicuntur incurabiles, licet totam hanc resistantiam possit vincere virtus infinita Spiritus Sancti, et de hoc agit quæstione XIV.

At vero donis correspondentibus fidei, scilicet scientiæ, et intellectui opponuntur tria peccata. Nam scientiæ opponitur ignorantia, de qua quomodo sit peccatum tractatum est I-2 quæstione LXXVI. Dono autem intellectus opponitur cæcitas, et hebetudo mentis quæ pertinent ad privationem luminis spiritualis, quæ privatio aliquando est solum pœna peccati, ut cum dicitur Sap. II: *Excæcavit eos malitia*, ubi ponitur malitia causa cæcitatis, aliquando vero est voluntaria derelictio luminis intellectualis, ut cum dicitur Psalm. xxxv: *Noluit intelligere ut bene ageret*, aut cum ex nimia concupiscentia temporalium hebetatur quis ad non intelligendum, ut cum dicitur Psalm. LVII: *Supercecidit ignis* (hoc est inordinata concupiscentia) *et non viderunt solem*, id est, lumen spirituale. De his ergo peccatis agit quæstione XV.